

2017

L I T U R G I C I .

2018

bati, fortasse rectius cum Nostro omiseris *et post Pascha Domini*. Caeterum Codex ob praecedentia, quae complectitur, non exigui pretii est.

DCCCXXI.

R 85*. Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 134. f. nitidissime perscriptus et rubricis distinctus, complectitur I. Opus liturgicum de ecclesiasticis Officiis Amalarii, Scriptoris Sec. IX. quem alii chorepiscopum *Metensem*, alii Archiep. *Treverensem*, quidam neutrum ex his volunt, hic in III. *Libros tributum*, quam ego divisionem mallem, nisi *Sigebertus Gemblac.* et *Honorius Augustodun.* de IV. loquerentur. Eset enim Ordini ecclesiastico multo conformior, utpote, qui ab *Adventu Domini* orditur, quod nobis *Libri* I. c. 1. est, dum in Editis inter Melch. *Hittorpii Scriptores*, Colon. 1568. f. et in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. ad *Libri* III. c. 40. ablegatur. Certe, qui *Capitum Indices* in *Codice nostro* singulis III. *Libris* praefixos expenderet, concluderet, hunc denique legitimum esse tractandorum ordinem, *Hittoriumque turbatis Exemplaribus* usum fuisse. Neque vero ego describendis iis *Indicibus* hic paginas faciam, summatim tamen dicam: *Libro* I. percurri totum annum ecclesiasticum ab *Adventu Domini* ad *Litanias majores*, *Libro* II. explicari sacros Ordines et rationem canonicarum Horarum, denique *Libro* III. agi de Tem-

plis, Vestibus Sacerdotum, ipso que per partes Missae Officio, quo nihil concinnius, si quidem *Indices Editorum contra* ponas. Initium nobis (Edit. *Lib. III. c. 40. Hittorp. p. 208.*) *In antiquis libris missalium et lectionarii repperitur scriptum ebdomada V. ante natale domini &c.* Finis vero Operis C. 34. *Libri* III. (Edit. c. 8. *Hittorp. p. 182.*) *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra.* Textus sat castigatus. Praefationes defunt.

II. fol. 121. p. 2. *Incipit epistola alcuinii diaconi ad imper. karolum.* Illa nempe, qua III. illi de Fide S. Trinitatis *Libros* inscribit. *Domino Gloriose Carolo* (sic) *Imperatori &c.* Dum dignitas imperialis a deo ornata ad nil aliud exaltata esse uidetur &c. Ut edit. *Ratisb. 1777. T. I. Vol. 2. p. 703.* f. qua cum contuli, et minus emendatam reperi. Absunt præterea tria Disticha, neque Opusculum ultra *Librum* I. procedit, etiam si Scriptor fol. 122. p. 2. adserat, omnes tres inesse. Quin etiam περικοπη illa ultima c. ult. *Jam vero sublimitas bujus &c.* abest.

III. fol. 128. p. 2. *Incipit omelia eusebii de corpore et sanguine domini.* Initium: *Magnitudo celestium beneficiorum angustias humanae mentis excedit &c.* In *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 636. inscribitur *Homilia V. de Pascha.* De Eusebio illo Gallicano Episcopo nildum certi, *Homilias* ei tributas aliis ad *Eucherium Lugd.* aliis ad *Brunonem Astensem*, quin et *Cæsarum Arelat.* referentibus. Praefens

2019

C O D I C E S

2020

sens nostra, cui in medio folium excidit, jam etiam sub *Isidori* reperta est nomine, et ab *Oudino* cum toto illo *Homiliario* vindicata **Fausto Ep. Regiensis**, ut alibi dixi.

IV. fol. 131. p. 2. *Ex apparitionibus corporis et sanguinis domini in ea forma, quae uere sunt.* Ineunt haec excerpta: *Nemo qui sanctorum uitas et exempla legerit, ignorare poterit &c.* Referunt autem de *Judaeo* converso, dum *B. Basilius* mysteria ageret. Vide *Vitas PP. Rosweydi* L. I. c. 7. p. 156. De *S. Gregorio M.* et *Matrona* incredula. Vide *Pauli Diac. Vitae* c. 23. T. IV. Opp. *Gregorii* edit. *Maur. col. 10.* et *Job. Diac. L. II. Vitae* c. 41. *ibid. col. 58.* De *Monacho Scithi* referente *Tarsinio* (*Arsenio*) et *Daniele* vide *Vitas PP.* mox cit. *L. V. Libel. 18. p. 635.*

DCCCXXII.

R. 3282

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 103. 8. non una manu, partim lineis longis, partim per duas columnas scriptus, et minio distinctus, olimque *Residentiae Soc. Jesu Mellestadensis* in *Carinthia* sequentibus Constat: *I. Micrologo de Ecclesiasticis Observationibus*, quem post varias Literatorum hariolationes nunc satis constat esse *Iuonem Carnotensem*. Primae Codicis membraneae exciderunt ita, ut nunc initium sit ab his Cap. VIII. verbis: *quin sacerdos in missa ordinum inferiorum officia &c.* sed et deinceps pluries multatus est **Codex**;

a Cap. tamen XXXI. ad finem nihil deest. *Lectio* porro cum *Edit. Hittorp. Colon. 1568. f.* et *Bibliotheca PP. Lugd. T. XVIII. p. 472.* bene concordat. In *Bibl. PP. Colon. 1618. T. XI. p. 380.* Cap. 9. prave habetur: *donec Evangelium igitur pro legitur.*

II. fol. 18. p. 2. sequitur *Bernaldi*, al. *Bertholdi*, quin *Bernhardi Presb. Constantien. Tractatus de vitanda Excommunicatorum Communione, de Rigore Canonum super damnatione sive depositione Lapsorum, item de Reconciliacione eorum sive Haereticorum.* Titulum hunc sumsi e praevia Epistola, quae nobis non inscribitur *Gebehardo*, uti Exemplum a doctissimo Antecessore meo *Sebast. Tengnagelio* inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos &c. Ingolst. 1612. 4.* primum vulgatum praeferebat, sed *GG.* quibus literis *Seculi illius Scribae Gregorium* signabant. Ceterum Exemplum illud multo perfectius fuit nostro, e quo cum aliqua de medio exciderunt, tum ultra dimidium in fine deest; extrema enim sunt: *ne de lapsis sanctoros patres cum nouacianis desperasse iudicamus*, quae in *Edit. Tengnagel. leguntur p. 264.* opusculo deinceps usque ad p. 287. procedente. Fortasse tamen ex iis, quae nobis supersunt, *Editio illa aliquantulum* perfici possit. Ita sub ingressum pro vel possessione sua vel communione manifeste legendum est professione, et pro juxta attestacionem *B. Gelasii Papae* probabilius iuxta institutionem &c.

III.